

www.e-rara.ch

Apodixes X. orthodoxae de haereditate Ecclesiae

Gernler, Lucas

Basileae, 1674

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-69723>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

חלקי אלהים לעולם

APODIXES X. ORTHODOXÆ

De

HÆREDITATE
ECCLESIAE.

Quas

DEO T. O. MAX. gratiosè adstuturò

Sub PRAESIDIO

Admodum Rever. Cl. Excellentissimi

VIRI

DN. LUCÆ GERNLERI,

S.S. Theol. D. Orthodoxiæ tenacissimi, V. Test.

Professoris solidissimi, Ecclesiæ Basil. Antistitis indefessè
vigilantissimi, p. t. RECTORIS Acad. Magnifici
Præceptoris commendatissimi, ve-
nerandissimi,

JOHANNES COPIS de Cállo Ungarus

A. & D.

Ad diem XVI. Maji, H. L. Q. C.

Publicæ Eruditorum inquisitioni subdit,

In per-antiqua celeberrima Potentissimorum & Fœde-
ratorum Helvetiorum Universitate.

BASILEÆ

 Typis JOH. RODOLPHI GENATHI
M DC LXXIV.

VIRIS
AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS
PRUDENTISSIMIS,
D. D.

DN. ANDREÆ BALLYIK.
DN. STEPHANO DOBOZI.
DN. JOHANNI ERDÖDI,
Consulibus Consultissimis, &c.

DN. STEPHANO MVNKATSI.
DN. STEPHANO FENYES, de Cállo,
Archigrammateo strenuo, expeditiss. &c.

DN. JOHANNI HÓDOSI.
DN. JOHANNI FARKAS, nuper Hospiti.
DN. BALTHASARI BARTHA, Legato
ad Portam Ottomanicam Principali.

DN. PETRO NAGY, de Debreczen, quon-
dam etiam Hospiti generoso.

DN. JOHANNI KOZMA, & cœteris
Christianissimæ Civitatis Debreczen Sena-
roribus Circumspectis, Magnis Patriæ afflictæ Patri-
bus, Reip. Literariæ Nutriciis Munificentissimis, Gra-
tiosissimis, &c. &c.

*Exercitium hoc Academicum, in vivum candidi
animi vadem deponit,*

ab humilimis servitiis:

A. & D.

ex Fide; non tamen ita immediatè sequitur, quin intercedat *Justificatio* quia *Adoptio* (cùm hæreditas non sit iræ) ex sua natura, prærequirit reconciliationem illam, quæ in *justificatione* reperitur, *Rom. 3. v. 22. 24.* Et (2.) in *Pactionalibus* illis Comitibus, Sponsor noster, pro semine hæreditando, non potuit majorem vitam postulare; quàm quæ opposita est æternæ morti, quam sententia mortis: *מֹת תָּמוּת* vi fœderis operum violati infligit. Attendenti verò (3.) ad *Promissionem* Mulieri dictam, dùm victoria de Satana toti semini promittitur, manifestum est involvi unionem inter omne semen, hoc est, *sanctificans & sanctificatum*, quod ex uno est, *Hebr. 2. 11.* ut duplici modò fiat victoria *אֱלֹהִים* scil. & *הָאָדָמָה* cum inimicitiae effectore & patratore, *Johan 15. 4. 5.* Jam verò ex unione cum Christo fuit, perpetua communio bonorum Dei, *Ephes. 1. v. 3.* Deniq; (4.) *לְאֵלֹהִים לְיָהוָה* quod Deus Abrahamo dixit, significat gratiam omnem ex amicitia Dei fluentem qui enim Deum, verè Deum suum, & Patrem suum nominare potest, ille habet jus petendi à Deo, quicquid ab ipso, cum ejus gloria petere, & expectare potest, *Matth. 6. 9. &c.*

V. Eius (11.) Autorem & Largitorem esse Patrem Filium & Spiritum Sanctum. Unitatem enim Jehovah, quæ ita est una, ut sit tres, & tres, ut sit una, *1. Joh. 5. v. 7. 8.* fide considerantes, credendum est, non magis unâ indivisam esse naturam Jehovah; quàm voluntatem unam, cujus efficaciam *vocantur quæ non sunt*, & præsentia sistuntur, *Rom. 4. 17.* atque adeo in hoc etiam mysterio, ut essentiam: ita voluntatem Jehovah, non possumus dividere; sed oportet observare, (1.) *Oeconomiam Patris*, quâ sustinet personam Jehovah Legislatoris Zelantis, peccatum sui videlicet honoris, ceu rei charissimæ violationem, & læsionem necessariò vindicantis punientis, justitiæque demonstrationem definitâ ratione exigentis: tùm sapientissimi Rectoris, & maxime misericordis, id, non ab ipso peccante exigentis; sed proprium suum Filium, Sponsorem vocantis, ordinantis, mittentis, *Rom. 3. 25.* Sponsionis opus præstitam, nostro nomine, ac in bonum nostrum acceptantis, *Rom. 3. v. 24.* remunerantis, *Rom. 5. 25.* (2.) *Filii*, Jehovah Assertoris, & vindicantis; quippe ex obedientia erga Patrem, & amore solo erga nos, sponsione in se recepta, se, pro, & loco nostri substituit: se justitiæ Dei subdi-

subdidit, ad illa omnia perficienda, quæcunque requirebantur, ad *seminis* assertionem, vindicationem, *Phil. 2. v. 8.* ut nobis mereatur, ac testamento donet *justitiam*, *Rom. 5. 19.* favorem Dei, *ibid. 10.* hæreditatem vitæ æternæ, *ibid. 21.* (3.) Spiritus Sancti Johæ sanctificantis. Omnia illa enim quæcunq; Christus passus est, fecit, facitque hodie, cum summa gloria suæ Mediationis, actu efficacia reddit in semine asserto, vindicato, potenter vocando, justificando, adoptando, sanctificando, glorificando, *1. Cor. 12. 3. 11.* Promissio (2.) Mulieri facta idem liquidò docet; dum hoc *semen* pendeat ex promissione, & vocatione, *ἡ ἐκκλησία* Patris; propter quam enim voluntatem est inimicitia, propter eandem est semen: In hoc *semine* continetur *Servator, Deus & Homo.* Hoc quia est *semen Mulieris*: illud quia ejusdem est ponere inimicitiam & conterere caput serpentis. Continetur etiam promissio conversionis ad Deum, sive sanctificationis per Spiritum sanctum, cujus finis hæreditas gloriæ, *Rom. 6. v. ult.* promittitur enim fore, ut Mulier non obediat Satanae; sed ejus hostis existat. Jam verò ut *sensus carnis est inimicitia adversus Deum*, *Rom. 8. 7.* ita sensus, & servitus Spiritus, est inimicitia adversus Diabolum. Verba etiam amicitiae (3.) Abrahamo ratificata, primæ huic veritati adstipulantur; unionem enim sui, & communionem bonorum, Abrahamo ejusque *semini*, Deus Pater largiri non potest absque Filio. qui enim Filium non habet, is, nec Patrem, *1. Joh. 2.* Filium verò nemo habet, nisi Spiritum Filii habeat, *Rom. 8. 9.*

V I. *Causam* (III.) impulsivam ejusdem esse solam *ὁ δὲ νόμος τῆς ἀγαπᾶς*, *τῆς ἡμετέρας*, *Ephes. 1. 5.* Ut enim homo hæres Dei sit, necessariò requiritur (1.) ut non sit *ἡ ἀνομία*, *ἡ ἡμετέρα*, *Rom. 3. v. 19.* *Gal. 3. 10.* quum Deus sine abnegatione suæ sanctitatis, personæ tali unionem & communionem sui largiri non possit, *Exod. 23. v. 7.* *2. Tim. 2. 17.* *Hab. 1. 13.* nec enim sine similitudine Dei unio esse potest, *2. Cor. 6. 14.* *1. Joh. 1. 6. 7.* (2.) Ut impleat *τὸ ἀγαπᾶν τὸν Θεόν*, hoc est, habeat causam justitiæ, sive juris petendi à Deo hæreditatem tanquam mercedem, *Rom. 4. 4.* *Præcepta* enim qui facit vivit per ea: At homo, qui *Fœdere operum* violato, damnas vitæ, & reus mortis factus est; mansit tamen obligatus, propter subjectionem, ad omnia illa facienda, quæcunque *Lex operum* præcipiebat; (1.) non potest esse non reus, nec (2.) per-

fectè obediens, sive causam Juris habens ad postulandam hæreditatem; homini enim etiam in tanto lapsu & ruina ad faciendum quæ Legis sunt, tam strictim obstricto, impossibile simul se à reatu peccatorum, per debitam satisfactionem absolvere, sive moriendo mori in æternum, & Legem secundum se totam constanter (nec enim deficientem juvat antegressa justitia, *Ezech. 18. 24. & 33. 12.*) facere, atque adeo vi Legis condemnantis, se ipsum vivificare, & jus, hæreditatem tanquam mercedem *ἡ δὲ ἐκείνη* petendi, sibi sumere. Nisi Deus ut Judex justissimus, & tam sapiens fuisset, ut sciret remedium idoneum ad illius revivificationem; & tantæ autoritatis, tam bonus, ac misericors, ut eo uti posset sine sui abnegatione, & vellet, atq; eâ gratiâ pœnas meritas temperaret, differret, & transferret. Et (2.) Promissio Mulieri facta, est non nisi misericordis hujus Dei propositi Evangelica resectio. Christus enim inimicitiam inter semen serpentis & Mulieris non posuisset, caput serpentis sophistici non contrivisset, atque adeo hominem, ex servitute peccati, & Diaboli, se per spiritum æternum, & in tempore offerendo, non vindicasset, nisi singulari pacto inito vocatus fuisset, *Hebr. 5. 4. 5.* Nec (3.) *Δὲ νόμος ἡ ἐπαγγελία τῆς Ἀγάπης* ἡ τῆς ἀρετῆς αὐτῆς τὸ κληρονομήσει αὐτὸν εἰς τὴν εὐτυχίαν, ἀλλὰ Δὲ οὐκ αὐτοῦ τῆς πίστεως *Rom. 4. 13. Gal. 3. 18.*

VII. In utraq; (IV.) Christi obedientia quari debere. Dum enim nullâ lege tenebatur, æquè ac Pater, *Phil. 2. 6. 7.* ut ut ipsi liberum fuerit hanc sponsonem suscipere vel non; adeoque Filius Dei potuisset carnem assumere, non ad sustinendam personam Sponsoris; sed ut tanquam Legislator, & Judex in ea appareret tamen posito hoc æterno Patris; & Filii pacto, postquam ex Muliere natus, caro factus est, & servi formam accepit, eo ipso factus est sub legem, *Gal. 4. 4.* non pro se; sed ut vi sponsonis ipsum obligantis *τὸς ὑπὸ νόμον ἐξαγαγόντες ἡνὰ τὴν ὑποταγήν ἐπὶ τῷ νόμῳ*, *ibid. v. 5.* Legi enim subjici, & secundum postulatam legisfacere ac pati ad sanctificationem Dei, volentis intercedente satisfactione remittere peccatum est *ἐξαγαγόντες τὸς ὑπὸ νόμον*, dum talis obedientia, sit *precium justum* inter vera precia numeratum, *1. Petr. 1. v. 18.* Ex immobili etiam ratione sponsonis, carne acceptâ, & tanquam *servus aures perforatus*, *Psal. 40. 7.* mandatum hoc accipere censetur, ut ipse solus, & unus omnium homi-

hominum, animam suam ex libera potestate, ceu sponsor liberrimus, in satisfactionis precium deponeret, positamque resumeret atque adeo, & se justificatum, & nos justificantem ostenderet, *1. Cor. 15. 17.* resurrectionisq; nostræ tam spiritualis; quam corporalis ad hæreditatem gratiæ ac gloriæ, hypostasis, exemplar, & initiatio fieret, *ibid. v. 20. 21. 27.*

VIII. Idem (2.) per singularem appropriationem sibi vendicat, Christus Dominus, dum dicit: *וְאִכְלָה אֶשְׁתִּית* Quum enim Mulier & naturales ejus liberi à Satana superati in servitutem ejus addicti fuerunt, *2. Pet. 2. 19.* ad faciendam ejus voluntatem, hoc est, ad semper peccandum, *Rom. 6. 16.* Ex conditione Fæderis (*אַךְ ה' הַנִּשְׁבָּעִים אֲשֶׁר־הָיוּ עִם אֲבוֹתֵינוּ*) jus petendi vitam & hæreditatem gloriæ non habuerunt, quia Lex illa, per transgressionem facta est ipsis Lex peccati ac mortis, *Rom. 7. 10.* quæ ab iis exigebat debitum sed eos non poterat sanare, quum viribus destitutus esset in carne. *ibid. cap. 8. 5.* atque adeo impossibile fuit legi vel saltem peccatum condemnare, quamdiu nihil extitit nisi Lex & Peccatum, nedum in peccatore *ἀνευνομιᾶς* recognoscere. Oportuit igitur Mediatorem nostrum inimicitiam ponere, &c. hoc est, venire in similitudine carnis, & quidem pro peccato, ut mortificaremur legi, per corpus Christi, & fieremus alterius (qui ex mortuis resurrexit: ut fructum feramus non morti: in Christo liberi facti à lege peccati & mortis: ut condemnaret peccatum in carne & jus legis impleatur in nobis, *Rom. 7. v. 8.* hoc est, ut reatum sive vim obligantem (quæ aculeus mortis dicitur, *1. Cor. 15. 56.*) peccati ad mortem tolleretur, dominationem & accusationem ejus irritam faceret, infringeret in illis duntaxat quos Deus ipsi dedit semen hæreditandum, & in nos conferatur quod Lex justitiæ causâ adjudicat, ac proinde nostrum perfectè fiat, quod mercedem Legis meretur; condemnavit enim peccatum, non ut nos implemus legem; sed ita ut jus legis, & omne promissum, ac bonum legis in nobis impleretur, ac nostrum fieret. Et certè hoc bonum cum priori necessariò conjunctum & conjungendum est, sola enim compensatio peccatorum (quæ sufficit ad tollendum reatum) ad salutem (quæ in liberatione ab omni malo, & collatione omnis boni consistit, *Ad. 16. 30.*) non sufficit; sed necessariò etiam requiritur adductio justitiæ, quum aliud sit non esse reum & maledictum, aliud jus habere petendi

mercedem ut justum, quod jus, præsupponit obedientiam perfectam non nisi in viribus *Primogeniti nostri Fratris* quæri aptam, 2. *Cor.* 3. 21. *Phil.* 3. 9. Ita conjungit, 2. *Cor.* 5. 21. *Illum fecit peccatum ut nos fieremus justitia Dei in ipso.*

IX. Multum (3.) roboris fœneratur huic veritati quodd Abrahamus, non justificatus fuerit ex operibus, quodd gloriatur apud Deum, cur Deus, sit Deus ipsi, & semini ipsius post ipsum; mercedem enim alicui reputare ex gratia, *Rom.* 4. v. 4. est id, quod, juxta fœdus operum tanquam merces debita, non nisi obedienti dari debebat, addicere gratitudinem, atque ad id sperandum, expectandum, & cum parrhesia, in bona conscientia postulandum, jus potestatemque tribuere. Sed ex fide, *ibid.* v. 5. repetito, ex *Gen.* 15. 6. eadem justificatione, & per eandem fidem quâ & nos justificamur, *Rom.* 4. v. 11. 12. *Gal.* 3. 8. 9. Quæ fides, est fides Christi, & justificatio, quâ reputamur justitia Dei in Christo. Siquidem ἡ πίστις καὶ ἡ χάρις καὶ ἡ ἐλπίς καὶ ἡ ἀγάπη οὗτοι εἰς τὸν αἰῶνα, *Hebr.* 13. 8. hoc est, fuit & est in utroque tempore V. & N. objectum fidei, & per gratiam ipsius servati fuerunt, & in secula servabuntur omnes, qui servantur, atque ita fuit vita hominum & Lux, *Joh.* 1. 4.

X. Eam (V.) Testamento niti. Quandoquidem (1.) Patrum illud æternum, *Testamentum æternum*, rectè appellare possumus cum Paulo Apostolo, *Hebr.* 13. v. 20. ubi dicit, *Deum pacis, eduxisse de mortuis Pastorem illum ovium magnum Dominum Jesum Christum*, ἐκ νεκρῶν ἀγαγὼν αἰῶνος ἐν αἵματι *Testamenti æterni*. Atque ex eo (2.) ultrò sequitur Promissionem, quam primi Parentes audiverunt in Paradyso, esse notificationem ipsam æterni illius *Testamenti*, ex loco enim quem statim allegimus, fide considerandum venit, *Testamentum illud æternum*, sanguine, & morte Testatoris confirmari debuisse. Quod fieri non potuisset, nisi Testator *semen Mulieris* (cui contritio capitis serpentis tribuitur,) fuisset, *Hebr.* 5. v. 1. Præterea (3.) & Fœdus Dei cum Abrahamo, possumus accipere nuncupationem *Testamenti*, sicut fœdus id quod dicit Deus apud *Jerem.* 31. 31. v. 33. כְּרַתִּי אִתְּךָ בֵּית יִשְׂרָאֵל וְאַתָּה בֵּית יְהוּדָה בְּרִית הָדָשָׁה; Paulus *Hebr.* 8. v. 8. vocat *Testamentum*; sunt enim omnes hæ promissiones, & gratiosam Dei dispositionem, de hæreditate nobis, per fidem, in Christo danda indicant.

XI. Eam

XI. *Eam* (VI.) & *nostram esse*. Hoc (1.) Ex eo evidens est quia semen quod Christo in hereditarem & Regnum peculiariter datum est vi pacti, ex gentibus etiam colligi proficit *Pf. 2. 8*. Et (2.) semen illud Mulieris Diabolo inimicum dicitur complexè omnis massa humanitatis, hæres futura sanctitatis & vitæ, quam massam vocavit *ἡ ἁμαρτία* cujus matrem hac promissione factam agnovit uxorem suam, *Gen. 3. 20*. In duplici (3.) semine Abrahami, id clarius perspicitur. Est enim semen promissionis, aliud inter eos, qui ex carne nati, suo tempore sub jugo, & circumcissione fuerunt: aliud quod ex sola fide Abrahami, sine jugo legis & servitute elementorum mundi, etiam ex nobis *Rom. 4. 16.* & *9. 24.* Quod ita duplex dicimus, ut unicum etiam sit; licet enim circumstantiâ duplex sit; in rei veritate tamen, sive spiritualis generationis formâ unicum est, nimirum ex fide Jesu Christi, ita ut *utriusq. in uno corpore Deo reconciliatis*, *Ephes. 2. 16.* unicum sit corpus semen, hæreditas, Regnum, *populus unus Spiritus, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma: Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus nobis, ibid. c. 4. v. 4. 5. 6.*

ac proculcant inque aversione à Deo callum obducunt *Hebr. 2. 3. 10. 26-31. Rom. 2. 5.* nisi tergo obverso ad Deum currere posse, & sine similitudine cum Deo, ejus unionem se posse habere, præsumendo speret, & sperando pereat.


XIII. *Non esse (VIII.) omnium hominum indiscriminatum.* Hoc vel inde (1.) liquet, quòd Christus secundum sponsonem factus est victima ad impetrandam hæreditatem populi peculiaris *Tit. 2. 14. Joh. 6. 39. Coll. v. 27.* Nec conveniebat ut pro aliis sponderet, & se sisteret, quàm pro illis, qui in ipso electi sunt ad *ἁγιότητα Eph. 1. 4. 5. 6.* quia non convenit indivisæ unitati Jehovah voluntas quæ sit divisa, consilium quod non stet, vel quod sit universale sine determinatione subjecti; Deus enim quibus ante tempora secularia, Testamento disposuit hæreditatem dare, in per, & propter Christum; iis non tantum præbuit occasionem accipiendi jus, se gerendi pro Filiis Dei; sed etiam in libro vitæ Testamentario sigillatim, & nominanter scripsit hæredes, qui est liber Agni, *Apoc. 3. v. 5. 6. 13. 8. 6. 17. 8. 20. 6. 12. 15. 21. 17.* Agni quia ab Agno, & ex voluntate Agni in eo scripta sunt, Agnus vivificat enim quos vult, *Joh. 5. 21.* & quos postulat eos Pater ei dat hæreditatem, *Pf. 2. 8. Consilium pacis* est inter Patrem & ipsum, *Zach. 5. 13.* Idem (2.) ex antithesi apparet, quòd Diabolo etiam attribuatur semen, qui secundum originem carnis & sanguinis, sunt etiam ex Eva videlicet Filii maligni, *Matth. 13. v. 38. Diaboli, Joh. 3. v. 10. ἡσυχία ἐξ ὁδοῦ. Matth. 23. 33.* quos in æterno Testamento non esse scriptos hæredes, liquidò determinavit Mediator Testam. dum inter semen serpentis, & Mulieris irreconciliabilem inimicitiam posuit. Rursus determinabit palam, tempore messis juxta illud Evangelicum: *Quod sibi quisq. serit presentis tempore vitæ: Hoc sibi messis erit cum dicitur: ITE! VENITE!* Id (3.) inde distinctius confirmatur, quòd, cum Deus diceret se futurum Deum, seminis Abrahami, statim significavit, quòd non omne semen carnis sit semen promissionis, *Gen. 21. 12.* confer *Rom. 9. 8. Τετρίων ἐπὶ τέκνα τῆς σαρκὸς αὐτῶν τέκνα τοῦ θεοῦ: ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζονται εἰς ἀντίρροπον.* Ubi explicat Apostolus (1.) non sufficere ad hæreditatem gratiæ sive promissionis justitiæ, & vitæ si quis sit Filius carnis, *Gen. 17. v. 18. 19. 20. 21.* (2.) Hæredes promissionis esse Filios Dei, hoc est, non tantum hæredes Dei; sed

sed etiam ex Deo genitos, *Job. 2. 12. 13.* (3.) Esse Filios promissionis, hoc est, vi promissionis natos, atque ita voluntate Dei, beneplacito & Testamento, *Jac. 1. v. 17. Luc. 22. v. 29.* Unde patet Apostolum hæc verba: *Vocabitur tibi semen*, ut promissionem interpretari.

XIX. *Non abs re (IX.) Ecclesiam hostes habere.* Ipse enim Redemptor in prima concione æterni Testamenti relatoria, post lapsum statim hominis, bellum indixit Ecclesiæ suæ, & synagogæ satanæ: ipsum caput Ecclesiæ pacem mundi non habuit; sed per contritionem sui calcanei hoc est per passionem, ipsi non ex proprio reatu; Sed propter peccata nostra, à satana tanquam Auctore peccati, infligi aptas consumari debuit *Hebr. 2. 10. κατ' ἀναλογίαν* in proportionem, & ad passionem Ecclesiæ referendum est *Rom. 8. 29.* Et etiam serpens, una cum semine exhæres est quum non omne semen Adami ut Cain *Gen. 4. 11.* Noachi ut Cenahan *Gen. 9. 25.* Abrahami ut Ismaël *Gen. 21. 10. 12. Gal. 4. 30.* Isaaci ut Hesau *Gen. 25. 33. 34. Hebr. 12. 17.* hæres Dei sit. Quorum odium, & ira maledicta, hæreditario tanquam jure ad suos posteros devoluta, infinitos adhæc usque tempora genuit Fratricidas *Matth. 23. 35.* Esau juris primogeniti adeoque hæreditatis exhæres factus, dixit cum animo suo: *appropinquant dies luctus Patris mei, tunc occidam Jacobum Fratrem meum Gen. 27. 43.* dixit certè & hodie dicit; Ismaël unà cum Matre Hagara ancilla ejectus in desertum ex hæreditate: sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem genitus erat, persequabatur eum, qui natus est secundum Spiritum: ira & nunc *Gal. 5. 29.* Maledictus est Cenahan & servus servorum Fratribus suis factus. *Gen. 5. 29.* & tamen sub tribus commovetur terra: imò sub quatuor, quæ non potest ferre, sub servo quoddam regnet, & stulto quoddam satur sit cibo; denig, sub ancilla quoddam hæres efficiatur Hera sua. *Prov. 30. 21. 22. 23.*

XV. In his omnibus Ecclesiam longè superiorem esse, per eum qui dilexit eam, & dedit semetipsum pro ea, *Rom. 8. 37.* Nam nobis persuasum est, neq, mortem; neq, vitam, &c. posse nos separare à charitate Dei, quæ vi Testamenti æterni per promissiones ratificata est in Christo Jesu. Serpens inimicus non quicquam præter pulverem vorare potest, *Gen. 3. 14.* hoc est, non deglutire Jobum electum Dei, Spiritum Dei habentem; sed carnem saltem & ejus
abolitio-

abolitione verustum hominem, qui caro vocatur tollere ut
 verum sit: עפר אמה ואל עפר תשוב Gen. 3. 19. Non nisi in ventre
 ambulare potest, hoc est, pedibus electorum subijci, atque etiam
 interdum surgat debellari, & ligari. Nec mors quicquam
 præter sanctissimum committit parricidium, peccatum nempe,
 & concupiscentiam, quæ eam genuerunt, Jac. 1. 15. penitus
 absumendo, Rom. 6. 7. Deus enim clypeum se fore gratiosè pro-
 misit Abrahamo seminique ejus, hoc est, ipsum servare & ju-
 stificare ita ut omnem linguam consurgentem, cum ipso in
 judicium condemnet, & omne telum comparatum adversus
 ipsum non prosperetur, Esai. 54. 17. quem in sensum Apostolus
 etiam loquitur, Rom. 8. 31. 33. 34. Semen verò mulieris sanctificans,
 quoddammodo in medio hostium suorum dominatur, & contri-
 vit caput serpentis, & conteret magis, dum omnes suos hostes
 scabellum pedum suorum ponet. Tunc & semen sanctifica-
 tum quod ex Testamento ipsi datum est in hæreditatem & Re-
 gnum peculiare in sanguine Agni, gloriosissimè vincet, cytha-
 ram Dei habebit, & cantabit canticum Moysi servi Dei, & canticum
 Agni, dicendo: Magna & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omni-
 potens. Justa & vera sunt viæ tuæ, Rex sanctorum, Apoc. 15. v. 2. 3.



Quicquid habet Mundus fucus est, transi-
 que; quod optat:
 Altera cœlestes fata benigna tenent.
 Sancta cohors cœlum est: cœlestes suntque fideles
 Ergo bonum Cœlo, nempe fidele datur.
 Tu cum sis hæres tantorum ritè bonorum:
 Quæ Tu sincero corde precaris habe!

*Ita Doctissimo, atq; Charissimo Dn. Auctori & Respondenti præsentis
 Disputationis ut Hæredi bonorum Ecclesiæ: hæreditatem
 quæ Mundus dignus non est, precatur*

JOH. BEKES, Horvati Ungarus.